

*Ut Banus in dignitatem suam Banalem quamprimum introducat.*

A R T I C U L U S 28.

Banum quoque Sua Regia Majestas, juxta Articulum \*) Anni proxime praeteriti superinde editum, plena cum autoritate et Banderio suo Regio, veteri milite exsoluto et certa futurae solutionis ordinatione facta, in dignitatem Banalem quamprimum clementer introduci faciat:

§. 1. Ne Regna illa, tam in bellicis, quam in Juridicis, Capite carentia, ulterius detrimentum capere cogantur; uti hactenus cum maximo eorum dispendio contigit. \*\*)

*Quomodo tertius et quartus Constitutionum praeteritae Diaetae, de violentiis et occupationibus bonorum, editi Articuli in suo esse et vigore manere; ac syncere intelligi et quomodo in illis procedi debeat?*

A R T I C U L U S 29.

§. 5. Parti vero succumbenti, liceat primo in Sedem Judicariam Comitatus, ex post vero, extra Dominium bonorum in Curiam; in Sclavonia vero ad Sedem Banalem, per viam Appellationis provocare.

*De non occupandis per Capitaneos et Milites Regiae Majestatis Praesidiarios bonis aliorum aliisque similibus.*

A R T I C U L U S 46.

§. 2. Idem intelligatur in Sclavonia.

*Ut Dominus Comes Nicolaus a Zrinio et caeteri a Valachis profugis varia damna ulterius non patiantur: et a Teloniaro Serenissimi Archi-Ducis Ferdinandi ipse Dominus Comes non impetatur: providendum.*

A R T I C U L U S 59.

Conqueritur Dominus Comes a Zrinio et caeteri contra Valachos profugos, a quibus eisdem varia damna in dies inferuntur, et ea in re referunt se ad Articulum decimum quartum, Anni Millesimi Sexcentissimi Quarti et praeteriti.

§. 1. Item idem Comes a Zrinio, contra Teloniarium Serenissimi Archi-Ducis Ferdinandi, qui in Oppido Lyka constitutus, justis proventibus, ex Portu Buccariensi antiquitus provenire solitis, eum privare nititur.

§. 2. Itaque censent Regnicolae; ut sua Majestas, per Legatos ad dictum Serenissimum Archi-Ducem Ferdinandum destinandos, efficiat; ne idem Dominus Comes, deinceps justis suis juribus privetur; sed in pacifica possessione suorum bonorum conservetur.

\*) Nempe; 11. ante Coronat. §. fin.

\*\*) Urgetur; An. 1647. art. 51.